DE RUPTURA LIENIS ET DE EJUS CERTO QUODAM CASU.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA-GUILELMA,
UT SUMMI
MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES
RITE SIBI DEFERANTUR,
DIE XXII. M. APRILIS A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOANN. CAROL. WUESTEFELD,
EICHSFELDENSIS.

OPPONENTIBUS:

B. ZEPPENFELD, MED. ET CHIR. DR.
G. LAUER, MED. ET CHIR. DD.
J. MICHELS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

EST NOBIS VOLUISSE SATIS; NEC MUNERA PARVA RESPUERIS.

TIBULL.

VIRO

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

J. G. LINGEMANN,

GYMNASII HAGIOPOLITANI DIRECTORI, COMMISSARIATUS EPISCOPALIS ASSESSORI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI HONORARIO.

NEC NON

VIRO

AMPLISSIMO, ORNATISSIMO,

INGENIOSISSIMO

FRID. JAC. EICHEL,

REGI BORUSSORUM A CONSILIIS IN REBUS

FORENSIBUS ETC.

VETERIS

OBSERVANTIAE SUAE TESTEM,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

DEDICAVIT

AUCTOR.

Proœmium.

Quaerenti mihi saepenumero atque animo volventi, quid ex tota illa medicarum rerum amplitudine ad conscribendam dissertationem inauguralem eligerem tractandum: multa sane animo obversabantur, quae ad augendam meam ipsius scientiam accuratius uberiusque et cognoscerentur et explorarentur, digna. At, ut fere fit, celeriter ab alio ad alium quasi volitabam, vel ex ista, quae iuvenum est, inconstantia levitateque, vel quia rerum ipsarum difficultas Horatii illud in mentem revocarit:

„*Versate diu, quid ferre recusent,*
Quid valeant humeri.“

Igitur ipsa hac animi quasi undulatione atque incertitudine permultum temporis est consumtum.

Quum vero novissimis hisce diebus casum quendam morbi maxime memorabilem ac qui notetur, dignissimum observandi mihi data esset occasio: neque ineptum neque inutile duxi, hunc dissertatiuncula ornare et ad usum vulgarem accuratius tractatum publici iuris facere.

At verum enimvero si, ut profecto est, L. B. rem tam gravem tamque difficilem brevius iusto atque levius tractatum, neque opusculum oblatum tibi videris undique aptum atque perfectum, malis id, quaeso, et temporis quibus premebar angustiis, et iuvenili infirmitati quam voluntati ac negligentiae meae tribuere.

Omissis vero illis, quae universe de liene eiusque morbis dicenda fuissent, statim ad ipsam rem propositumque me converto, de rupturis lienis expositurus, quippe quarum, ut monui supra, singularem egregiumque casum observandi raram mihi datam fuisse occasionem magnopere laetor.

Cap. I.

Quid omnino sit ruptura?

Vix, ne errore tenear, metuo, si rupturam esse pono continuitatis partium mollium praeternaturalem et acquisitam dirutionem, illaesis atque integris integumentis, quae vocant, communibus vi quadam mechanica vel interna vel externa effectam.

Non temere nec inconsulto addidisse mihi videor „acquisitam," quia disiunctionem aliquam substantiae partium mollium praeternaturalem, quae in vitio organico est, ad diaeresin sive dialysin congenitam referendam, neque vero rupturis adnumerandam esse censeo.

Si in statuenda rupturae notione, integumenta communia illaesa maneant necesse esse, asserui, hunc tantum exclusum esse volui statum, ubi continuitas partium mollium, iam penetratis integumentis communibus, vi aliqua mechanica immediate dirimente tollitur, id quod vulneris magis est quam rupturae.

Quum in morborum primarie mechanicorum numero habenda sit illa, de qua sermo est, ruptura, causa occasionalis ut mechanica sit oportere, quis est qui neget? Etenim si suppuratione interna (abscessu) alicuius organi parietes abscessus, in quibus ille dynamicus suppurationis processus fit, sensim sensimque extenuantur et resolvantur, donec abscessus operiatur, nemo certe adesse hic rupturam organi affecti pronuntiabit.

Sed iam satis multa de vi rupturae ac notione verba fecisse mihi videor.

Cap. II.

De ruptura lienis.

Quamvis satis firmo et ex duplicatione peritonaei, et membrana sic dicta propria lienis formato hocce organon obductum sit involucro; non desunt casus et a veteribus viris in re medica nobilissimis observati et a recentioribus medicis notati, in quibus diruptio lienis accidit, maximo plerumque vitae

detrimento. Quare et causas huius morbi et symptomata et prognosin et curationem accuratius paullum ac fusius considerare licebit.

---

§. 1.

Aetiologia.

I. Causa proxima continet statum morborum in liene illum, de quo, quaeque generaliter ei propria sint, iam supra, ubi de statuenda rupturae notione sermo fuit, memoravi.

II. Causae remotae:

A. Causae praedisponentes:

1. Prima vitae aetas. Cum hoc tempore lien multo laxior ac rarior esse soleat 1), quam annis provectis 2), nec profecto mirum, quoniam hoc non de liene solo, sed de omnibus organis praedicare licet.

2. Causis, quae rupturam lienis efficiunt, adnumeranda quoque est naturalis huius magnitudo, cuius multa exempla afferunt Voigtel 3), et Dav. Spleissius 4). Monro, exempli gratia, invenit

---

1) Jac. Aug. Hünerwolffius, Ephem. Nat. Cur. Dec. II. a. X. obs. 50, p. 96.

2) C. F. Heusinger, über den Bau und Verrichtung der Milz. Thionville 1817. 8. p. 56.

3) Pathol. Anat. Bd. 3, S. 138 u. 599.

4) Eph. Nat. Cur. Dec. II. a. 2, pag. 224.

lienem ponderis libr. quadraginta, Blasius lib. quatuor, Morgagni lib. trium, Corvisart lib. sex et semis, Huenerwolffius 5) in infante iam sugente lib. unius, Jos. Lanzonius 6) lib. octo. Immensa vero lienis magnitudo vel congenita est 7) vel morbis post partum accedentibus acquiritur.

Tam magnam organi alicuius extensionem permultis potentiis nocentibus, inprimis conquassationibus obnoxiorem fieri, quis est, qui non intelligat?

3) Nec praeterenunda mihi videtur, ubi de causis praedisponentibus rupturae lienis disseritur, abnormis sanguinis in hoc organo congestio, turgescentia, stagnatio, qualis vel simul cum stagnatione in vasis abdominalibus, adaucta venositate, reperitur, vel singulatim ac separatim in liene solo accidit.

Adnotationem, hanc humorum ad lienem congestionem singularem, haud raro post laesiones capitis occurrere, afferunt viri celeberrimi Chr. Vaterus 8), Klein 9) et Heusinger 10) memoratu dignissimam.

---

5) Eph. N. C. l. c. p. 96.

6) Eph. N. C. Dec. II. A. 9, p. 88.

7) Wrisberg, [Descript. anat. embryon. obs. 4, p. 48.] in foetu mensium sex et dimidii lienem eiusdem fere magnitudinis ac ventriculum vidit.

8) Eph. Nat. Cur. Dec. II. a. 8, obs. 197, p. 498.

9) Chirurgische Versuche. Stuttgardt 1821. plur. loc.

10) Betrachtungen und Erfahrungen über Entzündung und Vergrösserung der Milz. Eisenach 1820. 8. p. 39 sqq.

4) **Lienis praeternaturalis mollities.** Et ab aliis et a me ipso lienis substantia saepe ita dissoluta observata est, ut vel coagulo sanguinis similis esset, vel residui seminum Coffeae post paratam infusionem, vel pulpae speciem praeberet.

Emollitum lienem praecipue post inflammationem huius organi venosam observavit Heusinger 11), Simson hunc statum dissolutum vidit post obstructiones viscerum abdominalium 12), Fried. Hoffmann post haematemesin suppressa menstruatione 13), Horn in homine splenitide typhode defuncto 14). Per saepestatus dissolutus lienis oritur post pertinaces praesertim endemicas epidemicasque febres et intermittentes et remittentes.

Haud raro inventa est haec lienis emollitio simul cum gangraena cutanea, Highmorus 15), Audouard 16) et Grottanelli 17) afferunt nobis talia exempla.

5. **Parenchymatis lienalis status quasi**

---

11) Über Entzündung und Vergrösserung der Milz l. c. p. 116.

12) De re med. diss. 4. p. 154.

13) Syst. med. rat. Tom. III. P. 3. Sect. 1. c. 9.

14) Archiv f. med. Erfahr. 1815. H. 1, p. 34.

15) Disquis. corp. hum. anatom. Hag. Com. 1651. p. 73.

16) Observation sur une infection virulente contractée à l'ouverture du cadavre etc. Ann. de la Soc. de med. prat. de Montpellier Vol. 12. p. 27.

17) Animadv. ad var. et acut. et chron. Splenitidis hist. Flor. 1821. pag. 95 et 100.

emphysematosus. In quo animadvertitur aëris crepitatio ac strepitus sub digito premente 18). Hac vero aëris exhalatione substantiae rarefactionem effici necessario sequitur.

6. Inflammatio lienis 19).

7. Suppuratio lienis. Ut remotiora momenta, quae lienem sub variis conditionibus ad rupturam maxime propensum faciunt, in scriptoribus fere haec invenies:

a. Teneram infantilem aetatem 20), quae praecipue ad splenitidem chronicam sic dictam capillarem proclivis, saepe emollitiones lienis producit 21);

b. Sexum muliebrem in primis ad auctam lienis venositatem et stagnationem sanguineam venosam pronum et huic malo haud raro, oppressa menstruatione, obnoxium 22);

c. Constitutiones illas sic dictas venosas, praecipue atrabilarias (σπληνετικοὶ veterum);

d. Tempestatem humidam, pluviam et auctumnale hiemaleque tempus 23);

---

18) Richerand, Nosographie chirurgicale Tom. IV. p. 19.

19) Heusinger, über Entz. u. Vergr. d. Milz etc. p. 120.

20) Grotanelli l. c. pag: 152.

21) Heusinger's Nachträge zu den Betrachtungen und Erfahrungen über d. Entz. und Vergr. der Milz. Eisenach 1823. 8. p. 23.

22) Heusinger, l. c. pag. 29.

23) Grotanelli l. c. p. 152.
Ballonius, Epid. lib. 2. opp. Venet. 1734. Tom. I. p. 76.
Audouard, des congestions sanguines de la rate. à Paris 1816. p. 23.

e. Terras calidas easque humidas 24), quippe quae omnino venosae corporis conditioni faveant 25);

f. Ad venosas lienis intumescentias et emollitiones maxime proni sunt lanii, saporarii, mulieres pisces vendentes etc.;

g. Auget quoque propensitatem ad venosos lienis morbos impuris putridisque substantiis impraegnatae aquae usus;

h. Hic desunt exempla, ubi animi affectiones sic dictae deprimentes cum universalem, tum praecipue lienis venositatem elicuerunt;

i. Hic omittendum non est, cum suppressione excretionum secretionumque vel naturalium vel morbosarum atque exanthematum, ut causae disponentis illorum lienis morborum mentionem faciam, hocce organon ad rumpendum maxime fit proclive. Sed haec de causis praedisponentibus.—

B. Causae occasionales.

Efficere autem possunt lienis rupturam causae occasionales et internae et externae: ad internas referendus est praecipue permagnus enormisque humorum ad lienem turgescentiae gradus, qualis et in splenitide, inprimis venosa et sine statu inflammatorio in stagnationibus humorum in liene esse potest.

Eiusmodi sine ulla conspicua externa causa ef-

---

24) Dejean, Comment. in Gaubii Path. T. II. p. 259.
25) Heusinger l. c. p. 34.

fectae, sed sola nimia humorum turgescentia in splenitide productae lienis rupturae exempla afferunt Schaarschmidt 26), Hinze 27), van Maanen 28).

Plerumque autem cum lien disrumpitur, haud desunt causae occasionales externae, violentae, quarum permultae observatae exstant. Dividi autem possunt bifariam, in eas scilicet, quarum immediate in regionem lienalem directa actio est, et in eas, quibus totum corpus conquassatur, lien autem, utpote locus minoris resistentiae, prae omnibus partibus afficitur.

Sed ad priorem seriem harum externarum causarum referendi sunt ictus, qui in regionem hypochondriacam sinistram vim exhibent et tundentes quidem, sed non perpenetrantes, solum lienem ac fortasse etiam aliquas partes adiacentes concutiunt, illumque disrumpunt 29).

Exstant exempla lienis equi ictu vel calcis impetu vel baculi verberibus disrupti. Illi autem casus rupturae lienis potentiis violentis totum corpus conquassantibus effectae haud raro producti sunt delapsu ex alto aliquo loco, casu in podicem, vel etiam eximiis vehementibusque spasmis 30) aliisque, quae sunt eiusmodi, potentiis. —

---

26) Medic. chirur. Nachr. Tom III. p. 201.
27) Hufelands Journal 1817, p. 110.
28) Vaesmer de Sympathia Ultraj. 1818, p. 25.
29) Carol. Rayger. Ephem. Nat. Cur. Dec. III. a. 2. obs. 23. pag. 33.
30) Zopf, Act. Acad. Nat. Cur. Vol. V p. 428.

§. 2.

Diagnosis.

Vix erit, opinor, qui certum quoddam symptoma idemque, ut vocant, pathognomonicum affere sciat, quum ne plurium quidem symptomatum syndrome certi aliquid de morbo nostro statui possit. Verum enim si plura symptomata concurrant eademque inter se conspirent, quamvis certissime inde affirmari nihil queat, tamen de ruptura quadam lienis suspicari sane licebit.

Sed quum haud raro fiat, ut, causa occasionali praegressa, una cum ruptura, etiam inflammatio exoriatur, sequitur, ut plura, quae in lienis ruptura deprehenduntur, symptomata etiam in inflammatione observentur.

I. Symptomata localia.

1. Dolor fixus in regione lienali, qui deesse vix potest, quoniam causa violenta, quae rupturam efficit, adiacentes quoque partes dolentes faciat, necesse est. Saepe adest quoque consensualis humeri sinistri dolor, cui rei torpor quidam femoris sinistri addi posse mihi videtur.

2. Tumor in eadem regione, qui saepe non observatur, si nimia sanguinis e liene profluvio, hoc organon evacuatum collabitur.

3. Calor localis auctus et saepe externe color variabilis.

4. Totius abdominis intumescentia haud raro adest eximio nimirum sanguinis extravasato orta.

II. Symptomata generalia.

1. Fere semper et ubique peculiaris quidam color sordide virescens observatur, sive per totum corpus diffusus, sive non nisi in facie conspicuus et veteribus et recentioribus 1) de ipsa re consentientibus; certe in iis quidem casibus non desideratur ille peculiaris color, cum antea quaedam affectio lienis adfuerat.

2. Respiratio plerumque impedita est, anxia, cum doloribus iuncta, et raro sine tussi, cuius loco quandoque singultus animadvertitur.

3. Sitis magna, implacabilis, inextinguibilis, qualis in omnibus lienis affectionibus observatur, etiam illi, de qua hic sermo est, affectioni non deest.

4. Sapor salinus dein cum eo, quod modo dixi, indicio, arctissime coniunctus est.

5 Nausea, inappetentia, oppressionis in regione ventriculi sensus, vomituritio et ipse vomitus isque saepe cruentus. Facile enim fit, ut causa occasionali vasa ventriculi ita afficiantur, ut sanguinem emittant.

---

1) Heusinger, Naehtr. l. c. p. 42. Grottanelli l. c. p. 154. Bordeu, Recherches sur les maladies chroniques. Part. II. obs. 16. Oeuvres ed. Richerand à Paris 1818. Vol. II. p. 850.

6. Alvus interdum laxa et adstricta, interdum obstipata, haud raro sanguinolenta, nigra.

7. Accedunt ad haecce memorata lienis rupturam indicantia symptomata haemorrhagiae internae signa: pallor faciei et totius corporis, collapsus faciei, oculi concavi, horripilationes ad algorem usque crescentes, tremor artuum, extremitatum frigiditas, unguium caeruleus color, summa anxietas, sudor in facie frigidus; ad quod proprius quidam oculorum adspectus accedit, quem qui deprehendere velit, multis edoceatur exemplis necesse est. Respiratio laboriosa, luctabunda, ab initio maxime anxia, accelerata, dein sensim sensimque tardior facta, pulsuum ictus parvi, rari dein minimi, intermittentes, postremo deficientes. Summa virium prostratio, in lipothymiam abiens 2).

Quod si vero hic lienis morbus non morte finitur, tum reviviscens aeger vel enteritide peritonitideve gangraenosa corripitur vel prima occasionali causa effecta vel extravasato irritante producta, et accedente febre nervosa putrida conflictus, praeter alia symptomata magis vulgaria, singulari quadam atque eximia animi prostratione depressioneque insigni tollitur.

Ad statuendam diagnosin nostri morbi, causarum disponentium occasionalium, quibus aeger obnoxius fuerit, scientiam permulta facere nemo est, qui neget. —

2) Albrechti, Eph. Nat. Cur. Dec. III. a. IX. obs. 6, p. 12.

§. 3.

Prognosis.

Ex iis, quae hactenus a me dicta atque memorata habes, plane mihi videtur prognosis apparere. Nam quodque viscerum abdominalium vulnus vel rupturam, sive mechanica sive dynamica coortam causa, semper fere pessimum habere exitum atque deplorabilem, praesertim cum talis ruptura sibi ipsa relinquatur nec ullo modo ei medela afferatur, extra omnem dubitationem positum mihi videtur, quippe quum ii, qui tali vulnere laborant, non ipso ex vulnere, sed e sanguine inde effuso, ex iisque, quae talem sanguinis effusionem sequuntur, malis mortem oppetant. At vero non raro sane accidit, ut optimus quisque et qui amplissima exemplorum observatione maxime expertus habetur, medicus, tali, de quo sermo est, morbo ad curandum oblato, pro incertis morbi ipsius symptomatibus et quum nulla externa morbum internum indicantia apparuerint vestigia indiciaque non malam de morbo prognosin edat pronuntietque. Verum enim vero quodcunque vulnus viscerum abdominalium, si illa, quae hactenus a me allata ac pronuntiata sunt, symptomata accedant, malam habet prognosin; sin vero ex quibusdam symptomatibus, quae in liene morbo quodam affecto deprehenduntur, de lienis certo quodam vulnere sive ruptura potes suspicari — tum prognosis semper est pessima.

Quamque denique rupturam viscerum abdominalium per se absoluteque letalem fieri posse, huius rei plura invenies exempla apud scriptores, qui de medicina forensi scripserunt, ut Zittmann 1), Valentin 2), Alberti 3), Scheid 4) et alios.

Contra tales rupturas vulneraque viscerum etiam individualiter letalia esse posse, praecipue quorum substantia antea corrupta laxiorque fuit, non desunt plura exempla, quae a Remero 5), Claudero 6) narrata videbis. —

§. 4.

Ratio medendi.

Quod si talia tamque certa sese nobis offerant symptomata, ut lienis rupturam adesse luce clarius appareat: tum equidem trium omnino indicationum rationem potissimum habendam esse arbitror:

1. Haemorrhagia organi laesi quam brevissime sedetur;

---

1) Quaest. med. forens. Frankf. a. M. 1706. Cent. III. 54. 94 et Cent. VI. 76.

2) Pand. med. for. P. II. Sect. III. Cas. 8.

3) Op. med. for. Tom I. Cas. 32.

4) Obs. quaed. lienum disrupt. Argt. 1725, p. 36.

5) Syst. der gerichtl. Arzneiw. Königsb. und Leipzig 1820. 8 p. 190.

6) Eph. N. C. a. 8. p 542.

2. Extravasatum, quod iam effusum est quam maxime potest e cavo abdominali amoveatur;

Quod si hae duae indicationes nullis effici possunt remediis, tum

3. Laparotomiam adhibendam esse censeo.

ad 1. Si vulnus externum adest, tum sive digito sive instrumento quodam immisso sanguinis profluvio, quoad fieri potest tollatur. Quod fieri posse ex hoc quod mox afferam exemplo, dilucide apparet 1).

ad. 2. Ad extravasatum e cavitate abdominis amovendum plura suppetunt remedia, veluti venaesectio in morbi initio, deinde praebeantur antiphogistica, resorbentia, inprimis Salia frigida c. adstringentibus et quae sunt similia.

ad. 3. Sin vero aegri conditio ea est, ut appareat, eum nimia sanguinis effusione profluvioneque interna morti fieri abnoxium, tum arbitror eorum sententiae esse accedendum, ut lien ipse, quam maxime potest accurate considerateque exstirpetur. Id quod sine aegri detrimento atque iactura fieri posse, eius rei exempla tibi praebebunt viri celeb. ut, Plinius 2),

---

1) Fielitz [Richter's chir. Bibl. Bd. VIII. St. 3, p. 533] annotare libet, militem quendam tali vulnere laborantem curasse, ita quidem, ut ab illo malo miles liberatum se gloriaretur, sed per totam vitam de lenta excretione alvi queretur et faciem pallidam animique quandam tristîtiam retineret.

2) Plin. hist. Natur. 20, 19; 21, 20.

Voigtel 3), Scheid 4), Lentilius 5), Gerbezius 6) et alii.

Quotquot vero liene laboraverint, deinde felici morbi exitu gaudentes, eos, nullo fere excepto, per reliquam aetatis suae partem iisdem fere malis, quibus ille miles a Fielitzio observatus laborasse multi viri docti talium morborum exitus apprime experti, docuerunt scriptoque mandaverunt. —

Historia morbi.

Joannes Habermann, faber clavicularius, triginta et sex annos natus, quum, mediocri corporis statura, fortiore tamen robore, temperamento cholerico, per totam iuvenilem aetatem inde a puero continua et sine ulla fere intermissione laudabili sanitate gavisus ante hos octo annos nimio potionum spirituosorum amore captus esset, pristinam illam animi hilaritatem magis magisque abiecit, morosior in dies factus tristiorque, cuius quidem rei causae, ut etiam e sequenti huius mali curatione liquebat, in mala

3) Path. Anat. l. c. p. 166.

4) De ruptura lienis. Argt. 1725.

5) Eph. Nat. Cur. Dec. I. A. 1. p. 101.
Ibid. Dec. II. A. 3. p. 378.

6) Eph. Nat. Cur. Dec. III. A. 9. p. 370.

ac destituta abdominis dispositione stagnationibusque positae erant.

Aegrotus etsi ab hoc quidem malo, quoad fieri poterat, liberatus, tristitiam quandam et molestam animi morositatem nihilominus retinuit, in tempus subinde questus de molestiis quibusdam minoris sane momenti, de abdominis quadam plethora, de animi impatientia ac iniquitate, de corpore sibi molesto ac perturbato, ut paucis rem absolvam, aegrotus de omnibus iis molestiis querebatur, quae iniquam nec inconsiderabilem abdominis mutationem prodebant, quippe quae ut accuratius dicam, ex quadam irregularitate functionum organorum abdominalium petenda erat.

Tali corporis animique habitu usus, quattuordecim diebus ante quam in nosodochio, ut vocant, Caritatis, reciperetur; ecce, cooperae imprudentia mallei vehementi plaga in sinistro latere laesus, magis in regione inferiorum spuriarum costarum, ab omni labore abstinere coactus erat. Continuo plaga accepta aegrotus, non de nimio dolore in loco plaga illa laeso querebatur, de magna tamen pectoris anxietate, de oppressione et dyspnoea, ita tamen ut nullo alieno adiutus auxilio domicilium suum, quarta horae parte ab illo loco, ubi plagam accepit, remotum repetere posset. Quum vix domum revertisset, medicus in auxilium statim vocatus, qui, quamquam in partibus exterioribus nihil abnorme percipi posset, tamen quum aegrotus de magna anxietate atque pectoris oppressione quere-

retur, intus aliqua de re eum laborare colligere debebat; qua de re venae-sectionem instituebat, hirudines medicinales ad locum adfectum applicabat, et remedia in tractum intestinalem vim exercentia e. g. Solut. Natri sulph., Elect. lenitiv., Syr. mannat. etc. praescribebat.

Paulo post lipothymia aegrotum affecit, quae viginti horas in durabat, e qua, licet plura remedia adhibebantur excitari minime poterat. Sequenti demum die, affectionibus inflammatoriis durantibus, venae-sectio iterata, meliore quidem eventu, magnam laudabilemque vim effectumque habebat, quum pectoris anxietas atque oppressio omnes denique affectiones inflammatoriae sublatae viderentur; ita quidem ut aegrotus, animi praeclare potens, de omnibus rebus, quae ad se pertinerent, de habitu suo, et quae sunt reliqua optime accuratissimeque pronuntiare posset.

Quae vero emelioratio aegroti videbatur, nullo modo reapse talis erat. Nam etsi aegrotus neque de dolore, neque de aliqua compressione neque de tensione in abdomine querebatur; tamen eius vultus alte latentem eundemque abdominalem morbum prodebat, qui subita virium defectione, magna dedolatione, facie pallida, incipiente extremitatum frigore indicabatur, et cum status aegroti in dies peior fieret, ut nono post plagam acceptam die in nosodochium Caritatis reciperetur, necesse erat.

28vo die M. Febuarii.

Ubi receptus animi sui satis potens erat, ut de

mali sui origine, deque omnibus rebus, quae de plaga accepta referre habebat, bene praeclareque animi sui sententiam proferre posset; nec nisi de maxima corporis viriumque defectione querebatur. Vultus eius mediocriter erat collapsus et pallidus, proprium illum flavescentem colorem abdominalem habens, acies oculorum fere nulla et deficiens, adspectus eius inquietus atque anxius, lingua mucore lurido obtecta, attamen humida, appetitus ciborum omnino nullus erat, pectus libera utebatur respiratione, et aegrotus sine ulla molestia, nulla re gravatus libere fortiterque poterat respirare; abdomen tumescebat, attamen molle, nec dolorem ad attactum praebebat, excretiones alvi lentius fiebant, febris non vehemens vocari poterat, pulsus paulo celerior, mollis attamen et satis fortis, cutis sicca, eiusque temperatura mediocriter elata.

Morbi diagnosis quum esset dubia, ceteroquin excretiones alvi lentius fierent, hocce remedium aegroto praescribebatur:

R. Solut. Natr. sulph. (unc. I.) unc. vj.
Tart. stib. gr. I.
M. S. Succ. Liquirit. drach. IIj.
1mo die M. Mart.

Aegrotus nulla fere per totam noctem recreatus somni requiete, insomnio gravibusque somni visionibus erat sollicitatus atque commotus, de vehementissima siti questus, alvi excretiones nullae fuerant, abdomen eodem fere quo antea modo tumescebat, tamen ad attactum sine ullo dolore, et

quae antecedente die adfuerunt indicationes, eiusdem quod supra dixi, remedii cantinuationem desiderabant.

II do die M. Mart.

Aegrotus per totam noctem animo turbato atque inquieto utebatur, continuae eius in somno phantasiae visionesque dulcem somni requietem longe removerant, vix eum in lecto quietum iacere siverant; alvi excretiones abundanter secutae erant, attamen abdominis intumescentia ut antea manebat, lingua aridissima et corticosa, cutis vero eundem in modum sicca, vehementer calebat, vultus anxius, collapsus pallidusque, virium prostratio ea denique erat, ut nihil supra, aegroto de capitis doloribus querente et talia pronuntiante, quae nullo modo bene viderentur cohaerere. —

Ex quibus omnibus symptomatibus, quae tam mutabilia videbantur, de certo quodam morbo nullo modo aliquid definiri poterat, et quum diagnosis adhuc dubia maneret, Vir Cel. Wolff in auxilium a nobis vocatus, statim aegrotante conspecto de lienis aliquo morbo, proprio hominum, liene laborantium colore inductus, pronuntiabat, id quod postea confirmabatur.

Quod igitur remedium antecedente die adhibebatur, intermittebatur, aegrotanti balneum praebebatur, Sinapismus quarta quaque hora prope lienis regionem applicabatur et intus haecce praescribebantur:

℞. Kali carbonici drachm. ııj.
Aceti vini unc. vj.
Sach. alb. unc. ı.
M. S. omni quaque hora cochl. mai. sumendum.

III tio die M. Mart.

Neque balneo neque Sinapismis adhibitis neque medicamentis aegrotus se levatum sentiebat, per totam noctem delirabat; lingua eius arida et scissa erat, ut antea, difficilis ad movendum, ita quidem ut vix supra dentes eam exserere posset, anhelitus vero maiorem difficultatem praebebat, gravior enim ei erat et sonantior, fere letalis, morientium instar, anxietas crescens, faciei collapsus multo significantior certiorque, pulsus parvus ac minutus, ita ut vix sentiri posset, intenmittens, cutis vero ipsa vehementer calebat ita ut manus ad attactum calore quodam iniquo molestoque afficeretur. Vires ipsae aegroti in horam defiebant callabefiebantque, extremitates corporis frigidae, sudore frigido frons obducebatur, facies hippocratica, pulsus fere nullus, denique mors. —

Mortuo aegroto, quum morbus ipse gravior videretur et memoratu dignus, praeterea vero incerta tota morbi ratio desideraretur, ut accuratius de eadem quaereretur, cadaveris sectio a me facta est.

Sectio cadaveris.

Cranium inapertum remansit. Pectore aperto omnia viscera praeter exiguam dextri lobi superioris pulmonum exsanguium adhaesionem, normalia inveniebantur. Cavo abdominis deoperto, maior vero viscerum mutatio sese offerebat. Peritonaeum, omentum maius et minus, intestina omnia fere in gangraenae statu erant, et ferme conglutinata conglobataque. Ventriculus, hepatis lobus sinister et maxima pars intestinorum ad latus dextrum et superne compressa. In hypochondrio sinistro autem magnus quidam fluctuansque tumor saccatus adspiciebatur, ab ea parte membranae serosae, quam lien a peritonaeo deducit, inclusus. In huius tumoris saccati inferiore ea parte, quae renes spectat, ruptura inveniebatur, unum et semissem digitum longa, unde magna sanguinis coagulati copia in regionem iliacam et hypogastricam sinistram se effuderat. Quo quidem tumore saccato aperto multum sanguinis crassi, nigrescentisque prolabebatur, tam immensum, ut cum illo sanguine, qui in abdominis cavum pelvisque minoris se effuderat, lancibus adhibitis, quattuor et semissem libras penderet. —

Sed ecce, id quod magis omnes obductioni adstantes in admirationem rapiebat, in hac tanta tamque magna sanguinis huius coagulati copia lien ipse latebat. Igitur hoc sanguine coagulato ex-

travasatoque remoto, in superiore margine lienis diaphragma spectante, ruptura conspiciebatur, unum semissemque digitum longa et unum alta. Superior fere tertia ipsius lienis pars in rupturae confinio erat crassa densaque, oppido inflammata fere in gangraenae modum. Media vero atque inferior pars lienis longitudine atque latitudine eum in modum compressa erat, ut maiorem coli descendentis, transversi et intestinorum tenuium partem obtegeret. Liene ex cavo abdominis lente accurateque remoto ablutoque, substantia eius laxior putridiorque, plane corrupta, inventa est, ita ut molli digitorum compressu facile obteri, eiusque tunica propria posset detrahi. Color totius substantiae subruber erat. Lien ipse pondus unius et semissae librae habebat.

In altiore rupturae parte accuratius inspecta, exsudatio lymphatica plane conspiciebatur, quae vulneris ad concludendum conversionem ostendebat, id quod eo verisimilius erat, quum iam pluribus in locis coalitio quaedam locum habuisset.

Reliqua vero abdominis viscera paucis, quae supra inflammatoria dixi, exceptis, normalia inveniebantur, cystis vero fellea contento suo omnino destituta erat, vasa denique maiora sanguifera, ut hepar exsanguia fere erant, aperteque eum colorem prae se ferebant, qui fere semper intus sanguinis effusione facta, adesse solet. —

Epicrisis.

Quem tibi L. B. hac mea dissertatiuncula enarravi, memorabilem sane lienis rupturae casum, quum is mihi notatu dignissimus videatur: pauca de eo, quae maxime mihi visa sunt memorabilia, accuratius perquirere licebit.

Primum quod ad rupturam ipsam pertinet, videtur mihi, eandem statim a plaga accepta esse coortam, et quia sanguinis effusio facta est, et quia propter hanc sanguinis profluvionem lipothymia, quae circiter viginti horas duravit, extemplo est secuta. Lien vero iam ante tristem illam plagam morbosam fuisse, sequi mihi videtur ex immensa eius magnitudine atque forma singulari abnormique, dein quia innaturali quodam rubore obductus erat. — Quod vero aeger eo quidem tempore, quo in nosodochio Caritatis nostram curationem subibat, de dolore in regione lienali non amplius querebatur, huius rei causam positam fuisse in eo arbitror, quod enteritis plane gangraenosa iam adfuerit, ut postea apparebat. Id quod eo verosimilius fit, quum iam novorum vasorum, quae cum materia sanguinis fibrosa cohaerebant, formatio facta fuisse videretur. — Diagnosin vero tam difficilem fuisse, eo effectum esse censeo, quod morbus per novem dierum decursum iam duraverit, et aegrotus non e vulnere ipso, sed ex enteritide gangraenosa mortem obierit. At

maxime memorabile et observatione dignissimum in hoc quidem singulari casu id esse puto, quod ille homo quattuordecim adhuc dies post accptam plagam vixit, quoniam nullum fere eiusmodi exemplum, quod quidem scio, adsit, cum is, quem pro maxime memorabili exemplo ponunt, tali vulnere accepto non diutius quam quinque 1) fere dies vitam sustinuit, in reliquis vero exemplis talis morbus brevissimo semper temporis spatio, e. g. intra diem in mortem finiebat.

Quod restat, utrum hominis, cuius morbi enarrationem tibi hac dissertatione obtuli, vulnus absolute an individualiter absolute fuerit letale, id eorum virorum relinquo iudicio, qui hac in re iudicandi ius suum exercent, puta medicinae forensis atque iuris peritis. —

---

1) Ghisholm [Horn's, Nasse's u. Henke's Archiv, 1819. Mai, Juni. S. 447] est, qui de illo memorabili casu narravit.

Curriculum Vitae,

ex decreto

gratiosi medicorum ordinis adiectum.

Ego, Joannes Carolus Wüstefeld, confessionis catholicae, decimo octavo M. Decembris anni MDCCCIV. Bischagiae, vico in Eichsfeldia sito, parentibus probis piisque, patre optimo Georgio, matre carissima gentis Heysianae, quem utrumqueadhuc vivere magnopere laetor, natus, primis literarum elementis domi imbutus, Viro amplissimo Directori Cel. Lingemanno, (cuius nomen fronti huius libelli inscriptum est), quo moderante Gymnasium Hagiopolitanum per longum temporis decursum quam maxime floret, ad capessendam earum literarum cognitionem tradebar, quae ad Academiam viam muniunt.

Quo in Gymnasio quum per octo annos summorum virorum, Turinii, Hindenbergii, Ludolphii, Rinkii et beati Frohnii, quam maxime de me meritorum, doctrina delectatus essem atque imbutus, anno huius seculi vicesimo quinto, mense Aprili huc, Berolinum, ut inter alumnos medico-

chirurgicae Academiae militaris reciperer, me contuli. Ex quo per annos tres et dimidium in hac alma sede literarum celeberrimis eruditissimisque et in arte medica toto orbe celebratissimis viris operam meam navavi eorumque scholis assidue adfui: Cel. Wolff mihi tradidit logicen et psychologiam; Illustr. Link botanicen et historiam naturalem; Illustr. Lichtenstein zoologiam. De methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum, nec minus de anatomia comparata et dentium et de entozois Illust. Rudolphi; de osteologia, splanchnologia et syndesmologia Illustr. Knape explicantem audivi. Ab iisdem Illustr. viris in arte cadavera rite dissecandi edoctus sum. Physiologiam cum generalem tum specialem Illstr. Rudolphi et Cel. Eck, physicen, chemiam et pharmaciam Illustr. Hermbstaedt et Cel. Turte mihi tradiderunt. Frequentavi praelectiones Illustr. Fr. Hufeland de pathologia generali, de semiotice et therapia tam generali quam speciali; Illustr. Horn de pathologia speciali, de vesaniis et de morbis syphiliticis; Cel. Jüngken de ophthalmiatrice; Celsi de medicina libros mihi exposuit et historiam medicam tradidit Cel. Hecker et Hippocratis aphorismos Illustr. Bartels interpretatus est, Perillstr. G. Hufeland praeceptore usus sum in therapia speciali; nec non interfui praelectionibus Cel. Osann de materia medica, de auxiliis in subito vitae discrimine ferendis et de fontibus medicatis.

Decane maxime spectabili,
Opponentes doctissimi, amicissimi,
Auditores illustrissimi atque honoratissimi.

Cursu academico studiorum, tentamine coram Decano mihi maxime spectabili et ornatissimo, ac examine rigoroso praesente gratioso medicorum celeberrimorum facultatis ordine absolutis; restat mihi, ut, ad maximam auctoritatem utriusque medicinae adipiscendam hoc certo loco mihi instituto, theses publice defendam. Quare statim me converto ad opponentes doctissimos, et primum ad te Dr. Z., quem simulque sententias et opiniones de thesibus propositis mihi offeras quaeso.